MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81613-7

AUTHOR:

HOEGG, FRANZ XAVIER

TITLE:

DE ALIQUOT HORATII CARMINIBUS...

PLACE:

ARNSBERG

DATE:

1862

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Hoegg, Franz Xavier,
...De aliquot Horatii carminibus commentatio... von dem director. Arnsberg, Stöwener, 1862.
xx p. 25½ cm.

At head of title: Jahresbericht über das Königl. Laurentianum zu Arnsberg... mit welchem zu der öffentlichen prüfung... einladet Dr. F. Xav. Hoegg, director...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/27/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

Jahresbericht

über das

Königl. Laurentianum

zu Arnsberg

in dem Schuljahre 1861—1862,

mit welchem

zu der öffentlichen Prüfung am 25. August

und

zu der feierlichen Entlassung der Abiturienten am 26. August

ergebenst einladet

Dr. F. Xav. Hoegg.

Director des Gymnasiums.

Inhalt:

Arnsberg, 1862.

Druck der F. H. Stöwener'schen Buchdruckerei.

Berichtigung:

Seite 6 der Schulnachrichten unter Latein statt Schillings lies der Ordinarius.
Unter Naturbeschreibung statt der Ordinarius lies Schillings.

De aliquot Horatii locis commentatio.

Scriptorum veterum, qui in scholis leguntur, nullus unquam magis idoneus habitus est, quo conformarentur adolescentium mentes simul et animi, quam Horatius, quippe qui non solum largam praebeat materiem ingenium variis exercitationibus acuendi sensumque pulchri ac venusti egregiis artis poëticae exemplis colendi, sed etiam sublimium sententiarum copia uberrimisque vitae praeceptis perennem se exhibeat fontem, ut, quum ceterorum scriptorum memoria longiore tempore interiecto oblivione non raro obscuretur, divini poëtae opes omni aetati alimenta atque oblectamenta suggerant, atque etiam senum ora vatis iucundissimi verbis, pectoribus alte impressis, quacunque occasione oblata redundent. Itaque in litteris, quibus institui solent superiorum ordinum discipuli, huius poëtae carmina primum semper locum obtinuerunt semperque tenebunt. Ex cuius scriptoris tractatione, ut uberrimi laetissimique fructus percipiantur, ei, qui interpretis munus sustinet, non tam id agendum est, ut suum de poëtae virtutibus iudicium suosque de carminum veneribus et elegantiis sensus copiose communicet et quodam modo inculcet; quidquid enim vere pulchrum et venustum est, facilem habet aditum ad iuvenile ingenium et tacita vi movet animos; sed id maxime spectandum, ut expositis iis, quae ad intelligendas singulas carminum partes praeceptoris adiumento egeant, discipuli, quantum fieri possit, ipsi sententiarum nexum explorent, argumenta constituant et ex singulis carminibus poëtae consilium eruant. Neque tamen hanc viam et rationem ubique tenere licet. Est enim haud parvus numerus carminum, quae tam difficilia sunt intellectu, ut praecipua praeceptoris cura in explicandis iis, quae ipse perspecta habeat, ponenda sit, ne diu ac multum interrogando et pensitando plus taedii creet, quam vel commodi vel oblectationis. Iam vero quis ignorat, quam difficilis sit ipsi praeceptori labor, in magna interpretum dissensione arbitri quodammodo partes suscipere, quum praesertim ad iudicium vel firmandum vel corrigendum

recentiores quoque interpretationes inspiciendae animoque perlustrandae sint. Nihilo tamen minus hoc labore supersedere non poterit, qui omni ex parte interpretis munus explere sibique ipsi satisfacere voluerit. Nam hoc vel studiosissimi antiquiorum commentatorum aestimatores concedent, recentioribus temporibus virorum doctorum studiis haud paucis carminibus magnoque singulorum locorum numero novum lumen allatum esse; etsi altera ex parte negari non potest, non minimas molestias nuper effusas esse eorum conatibus, qui spretis firmissimis aliorum argumentis Horatii carmina grammaticorum interpolationibus depravata et vel eiiciendis vel permutandis versibus ad suum arbitrium conformanda esse censeant, aut nimio nova proferendi studio ducti temere a commodis aliorum sententiis discedant, nimiaque sagacitatis fiducia coniecturas substituant, magis factas ad difficultates et dubitationes augendas, quam tollendas. Ita, ad quemcunque commentatorem te applicaveris, dubitationes, sive ab hoc ipso, sive contrariis aliorum sententiis, sive novis virorum doctorum illustrationibus, coniecturis, inventis suscitatae atque iniectae, quantum fieri potest, superandae, certe ita iudicandae sunt, ut quid tibi videatur, definite aperire queas.

Quam legem quum equidem mihi iniunxerim, non potui, quin eiusmodi carmina, quae ancipitibus criticorum curationibus et coniecturis inprimis exposita sunt, aut quorum argumenta et sententiarum nexus difficiliores habent explicatus, vel tota vel ex parte copiosius in meum usum tractarem literisque mandarem. E quorum numero si apta quaedam visa essent, quae speciminis memoriaeque servandae causa discipulis meis accuratius cognoscenda communicarentur, non dubitavi, hac data occasione ea proponere, sperans, ceteros quoque, in quorum manus hic libellus pervenisset, voluntatem meam haud improbaturos nec, quae modeste emisissem, cognitione prorsus indigna iudicaturos. Lectores facile sibi persuadebunt, non tam id me egisse, ut nova proferrem, quam ut, quae recte a viris doctis disputata viderentur, probarem, interpretationes contra minus idoneas coniecturasque infirmas refutarem.

Carmen I, 1.

Priusquam de huius carminis argumento et conformatione expono, earum et vocum et singularum partium interpretatio praemittenda esse videtur, de quarum vel vi vel convenientia et nexu dissensio est, aut quae alia de causa accuratione egent explicatione.

Atavis regibus i. e. maioribus, qui erant reges; illa igitur vox quasi positivum nomen altera quasi adiectivum posita est. Cf. Virg. Aen. VII. 86: Turnus avis *atavisque* potens. Martial. XII, 2 4; Ovid. Metam. 5, 21: neque enim *praedone marito* Filia digna tua est.

Praesidium appellatur Maecenas, non solum quia eius benignitas satis superque poëtam ditaverat (Epod. I, Vers. 31: *Satis superque me benignitas tua ditavit* Od. III, 16, 38: *nec si plura velim, tu dare deneges*, Epist. I, 7; Od. II, 18, 12: . . . . *nec potentem amicum Largiora flagito* II, 17, 4; Epist. I, 1 104) virique illustrissimi auctoritas atque amicitia multum commendationis habebant; sed etiam, quia iudicium eius eruditissimum adversus invidos obtrectatores vindicabant. — *Decori* autem fuit viri amplissimi amicitia, iucunditatis atque exhortationis plena, cui magna famae pars debebatur. (Virg. Georg. II, 40: O *decus, o famae merito pars maxima nostrae*). Voces *praesidium* (columen) et *decus* non raro ita iunctae inveniuntur ad significandam pietatem atque observantiam in patronos.

Curriculum utrum de curru, quo usi sunt in ludis publicis, an de ipso decursu, an de spatio cursus sit accipiendum, dubitari potest. Nam triplicem hanc vim esse in hoc vocabulo, loci a Dillenburgero, Orellio, Th. Obbario, Rittero, aliis allati, probant. Sed de meo sensu si iudicare licet, spatium cursus vel stadium intelligendum adiectivumque nomen *Olympicus* per enallagen quandam ad locum certaminis referendum est, cuius nobilitas atque celebritas augere poterat victoriae laetitiam.*) Quo ludicrorum genere pulverem collegisse palmamque tulisse iuvet, verba *metaque fervidis evitata rotis* significant. Loci autem mentionem quis neget conferre ad exempla contrarie relata plenius illustranda? Opponitur enim, quem in circo curru victoriae gloriam tulisse iuvat, ei, qui in foro summorum honorum competitores vicit gratia populari, eoque omnium sibi fortunatissimus esse videtur.

Iam quaeritur, quam Horatius, id quod ex ceteris omnibus, quae sequuntur, exemplis totiusque carminis ratione intelligere licet, non universe qualiacumque hominum studia, sed populi Romani, cui scribebat, mores atque indolem respiciens, eiusmodi studia sibi comparet, quae aliorum quidem cupiditatibus ac votis respondeant, at longe tamen inferiora sint iis, quae ipse sequatur**), cur primo is loco exemplum, a Graecorum moribus petitum, ad signi-

---

*) Recte vertit Below, progr. Luckow. 1855 „auf der olympischen Bahn zu regen den Staub“.

**) Od. IV. 3, 1—5: Quem tu Melpomene — videris, Illum non labor Isthmius Clarabit pugilem, non equus impiger Curru ducet Achaico Victorem, cf. Od. III, 1, 9, sq.; 2, 17, sq.

ficandam gloriae vel famae cupiditatem ante oculos ponat. De popularium nobilibus atque opulentis, qui aut ipsi ad certamina Olympica accederent, aut aurigas cum quadrigis eo mitterent, ut victoriam reportarent dominis splendidissimam, eum cogitasse, non magis equidem crediderim, quam, id quod alii verbis *terrarum dominos* indicari putant, Olympionicas illos, carminibus et statuis celebratos, Gelonem, Hieronem, Theronem, eius oculis obversatos. Si quid video, nihil aliud poëta voluit, nisi ut expressam eius gloriae vel famae imaginem oculis proponeret, quam non sine irrisione quadam compositurus erat suae ipsius cupiditati. *) Quae vero res alia colorem vegetiorem et ad exprimendam illam imaginem aptiorem suppeditabat, quam qua usus est Horatius? Ludi enim Olympici omnium celeberrimi et clarissimi erant, ut victoria Olympiorum apud Graecos fere maior et gloriosior haberetur, quam Romae consulatus ille antiquus vel triumphus **), nec solum Graeci, sed etiam alienigenae, qui victoriam reportassent, summum honoris gradum ascendisse sibi viderentur.***) Similiter Horatius Od. IV, 3, 3 sq. ad illustrandam et quasi oculis subiiciendam sententiam, cui nascenti Musarum beneficio et gratia benigna ingenii vena concessa sit, eum nil curare 'gloriam, qua mirifice sibi placeant alii, imaginibus insignitis, a Graecorum ludis sacris et Romanorum triumphis ductis, exprimit. In quo profecto non id egit, ut divideret inter Graecos et Romanos exempla, sed ut, quae vulgo summa haberentur honoris ornamenta, opponeret poëtae studio, modestiori quidem, at verae venerationis atque oblectationis pleniori. Apparet ex his innumerisque aliis locis, Graecorum ludos publicos in proverbium fere cessisse, quare non raro scriptores Romani ibi quoque eorum exemplo utuntur, ubi non minus idoneam comparationem habuissent ludi Circenses. Cf. Propert. IV, 8:

---

*) Cic. Tusc. Disp. I, 46 iudicat, victoriae in ludis sacris existimationem apud Graecos nimiam fortasse esse vel olim potius fuisse.

**) Cic. p. Flacco, Cap. 13: Atinas pugil, Olympionices? Hoc est apud Graecos — prope maius et gloriosius, quam Romae triumphasse. Corn. Nepos Praef. §. 5. — Cic. Tusc. Disp. I, 4 6; II 17; Plin. VII, 47; XVI, 4; Vitruv. IV. Praef.; Pausan. VI 2; 11; 13; 18. — Apud Romanos, quamvis magnificus esset ludorum apparatus, tamen ne Augusto quidem imperante, cuius munificentia atque opera Circensium splendor magis etiam auctus est (Sueton. Caes. Octav. Aug. cap. 39 sq.) tantam famae celebritatem nacti sunt victores, quantam olympionicae; vix etiam exemplis probari poterit, Romae ante Augustum homines omnium ordinum curru in Circo certasse atque ipsos quadrigas rexisse. T. Plancus (Cic. ad Famil. XII, 18) verisimiliter gladiator exstitit, non agitator.

***) Ipse Augustus vicit Olympia saepius. Ovid. Trist. IV, 10, 96. De splendissimo Neronis victoris reditu v. Suet. Nero cap. 34 sq.

Est quibus Eleae concurrit palma quadrigae;
Est, quibus in celeres gloria nata pedes.

Cic. Tusc. Disp. II, 17: Inde pugiles, caestibus contusi, ne ingemiscunt quidem. Sed quid hos, quibus Olympiorum victoria consulatus ille antiquus videtur? Gladiatores etc. Brut. 69: Sed pugiles inexercitati, etiamsi pugnos et plagas, Olympiorum cupidi, ferre possunt, solem tamen ferre non possunt etc. Virgil. Georg. III, 49.

Seu quis Olympiacae miratus, praemia palmae
Poscit equos, seu quis fortes ad aratra iuvencos;
Corpora praecipue matrum legat.

Colum. III, 9. „Nos quoque, velut Olympionicarum equarum, ita feracissimarum Aminearum seminibus electis vindemiae spem capiamus.“ Itaque non est, quod *metam* et *palmam* consulto a Circensibus ludis ad Olympica certamina translatas esse putemus, quum praesertim constet, *palmam*, victoriae signum, ne Graecis quidem ignotam fuisse,*) et *metam* non solum turriculas, in fine spinae positas, sed quemcunque terminum, maxime in ludis, significare **). Equidem non memini, signum decertantibus, ubi reflecterent cursus, constitutum, alio vocabulo notari a scriptoribus Romanis ne iis quidem locis, quibus Olympia nominatim laudantur. Ceterum Romani scriptores non raro, ubi de Graecis agitur, more Romano loquuntur. Vid. Orellium ad Horat. carm. I, 7, 27.

Nobilis dicta est palma, quod nobiles reddit, qui eam accepere; nobilitans. Cf. Od: IV. 2, 17: quos Elea domum reducit palma coelestes.

Terrarum dominos evehit ad deos. Alii verba *terrarum dominos* referenda esse putant ad deos, alii ea explicant de Romanis, terrarum dominis; allii de regibus, qui Olympia vicerunt, seu de divitibus, ludis sacris certantibus; alii aliter. Rectissime interpretatus est *Kaiser:* ***) „Sunt, quos — meta et palma nobilis terrarum dominos (reddit, et) ad deos evehit, i. e. sunt, quos adepta Olympiae victoria ad altioris dignitatis sedem attollit, ut terrarum quasi domini facti sibi videantur et ad deos evehantur i. e. summa felicitate fruantur.“ Cum quo consentiunt Dillenburger, explicans: „evehit ad deos, quasi sint facti terrarum domini“

---

*) Vid. Orell. a. h. l.; Pausan VIII, 48; Vitruv. Praef. lib. IV; Gell. III, 6; Liv. X, 47: palmaeque tum primum translato e Graecia more victoribus datae sunt.

**) Virg. Aen. V, 159: Iamque propinquabant scopulo metamque tenebant.

***) Progr. Lauban 1830.

et Petrenz*), cuius Verba referre liceat: „Mihi per oppositionem illa verba videntur ad praemissum pronomen *quos* referenda esse hoc sensu: sunt, quos victoria in ludis sacris reportata (palma nobilis) velut terrarum dominos evehat ad deos, i. e. qui sibi terrarum domini facti eoque ad deorum felicitatem et amplitudinem evecti videantur. — Haec ratio, et si orationis conformationem spectas, simplicissima et ad ipsam loci sententiam accommodatissima esse videtur, praesertim quum sic progrediens quaedam rerum amplitudo efficiatur.“

Recte monet Regelius, fieri non posse, ut, quum *sunt, quos* praecesserit, transeat oratio ad certum, quod eiusmodi certamina delectent, hominum genus; quamquam in eo vir doctus errasse mihi videtur, quod terrarum dominos ad deos referendos esse putat.

Certat tergeminis tollere honoribus. Honoribus ablativum non dativum casum esse, excepto Iahnio et Lübkero omnes, quos novi, interpretes consentiunt**). *Tergeminis* honoribus, i. e. summis atque amplissimis, quales sunt curules illi magistratus: aedilitas, praetura, consulatus. *Tergemini* proprie sunt tres, uno partu editi; sed sensu latiore haec vox inservit significandis quibuscunque rebus et personis, quae ratione quadam triplicem exhibent speciem e. c tergeminum caput, tergemina Hecate (triformis); Iovis ignis tergeminus. Etiam idem sonare videtur, quod triplex: tergemina victoria; terg. porta (cf. loci ab Orell. a. h. l. laudati). Contra *triplex* significat interdum res et formas, quas nullo discrimine tergeminas dixeris: triplex cuspis (tridens); triplex Diana; triplices sorores (Parcae). Cf. centumgeminus Briareus (centimanus); tergeminum sophos (ter repetitum). De discrimine, quod quidam inter tergeminos et trigeminos statuere volunt, vide Forc. Lex. s. v. — Iam etsi nemo negabit, tergeminis honoribus significari potuisse tres illos honores curules, tamen tam angusta honorum definitio a poëtica ratione et loci sententia abhorrere videtur, ut iis accedere malim, qui honores poëtica ratione tergeminos dictos esse censeant pro amplissimis honoribus. Definitus enim honorum numerus ieiuni quiddam haberet; vim poëticam auctam videbis, si vocem illam sensu latiore acceperis, ita tamen, ut ei adhaereat triplicatae formae significatio.

Illum, si proprio condidit horreo. Opponuntur iis, qui studiosissime persequuntur amplissimos honores, eius generis homines, qui in maximarum divitiarum possessione summam felicitatem ponunt: Recte Lambinus: „si quam plurima fructuosissimorum agrorum habet iugera“. Pervertere videntur iustam membrorum iuncturam, qui oppositum esse censent latifundiorum

---

†) Progr. Gumbinnen 1844.

**) De verbo tollere, cum ablativo iuncto, vide locos a Th. Obbario allatos.

possessorem aut pecuniosum, fruges coëmentem negotiatorem agricolae laborioso, agros patrios colere gaudenti; neque cum iis sentio, qui et hoc loco et Od. III, 16, 26 (*Quam si, quidquid arat impiger Appulus, Occultare meis dicerer horreis*) de negotiatoribus cogitasse poëtam censeant. Non est enim, quod sordidam illud hominum genus, quod lucri faciendi causa frumenta coëmta in horreis comprimere atque in tempore quam carissime vendere solebat, intelligamus, praesertim, quum V. 15 sq commemorentur, qui, quaestus faciendi cupidissimi, omnia pericula subeant. Meo quidem iudicio probabiliorem atque ad poetae consilium aptiorem expressam videbis imaginem, huic si subiieceris hominem opulentum, qui totus est in dilatandis agrorum possessionibus sibique placet in copiis alte exstructis. — Condere et occultare horreis propriis fruges cum amoris habendi significatione dictum pro suas proprias fruges, ex latifundiis redeuntes, collectas habere in horreis. Eadem sensu Od. III, 16, 26, verba *meis horreis* accipienda sunt. Minutae atque otiosae subtilitati servire dixeris eum, qui, cur uno loco singulari, altero plurali numero usus sit poëta, quaerere operae pretium habeat.

Quidquid de Libycis verritur areis. Pretium latifundiorum quum magnitudine tum ubertate agrorum aestimatur. Utrumque poeta respicit. *Quidquid verritur* hyperbolice dictum, ut Od. III, 16, 26: *quidquid arat impiger Appulus*, et Sat II, 3, 87: *Frumenti quantum metit Africa.* Cf. II, 2, 10; 16, 84 et 41. Libya (Africa) frugum fertilissima erat, ut huius terrae agri in summo haberentur pretio maximeque pecuniosorum hominum cupiditatem illicerent. Hoc igitur dicit Horatius: Illum iuvat collectas habere omnes, quae in Africa nascuntur fruges, i. e. dominum esse amplorum et pretiosissimorum latifundiorum. In quo de divitiarum augendarum amore cogitasse poëtam, ipsa hyperbola, qua ad significandam divitiarum magnitudinem usus est, indicari putaverim.

Gaudentum patrios findere sarculo. Transit poeta ad alia hominum studia, contrarie relata. Etsi ex sententiarum serie facile apparet, rusticani, sorte quamvis dura contenti, commemorationem natam esse ex antecedente imagine, tamen rusticum glebae adscriptum non huic potius oppositum esse putaverim, sed mercatori, quietam in patria vitam quaestus causa respuenti. Ipsa verborum collocatio partiumque sibi respondentium conformatio (gaudentem — mercator metuens) indicare videntur, quae hominum genera inter sese opposita esse voluerit carminis auctor Quapropter patrios agros equidem non agros in patria sitas, qui non in provinciis exercentur, significare censuerim. Loci sententia haec esse videtur: Alii, etiamsi non sine labore et sudore agrorum hereditate acceptorum cultura se sustentant, tamen suam cum eorum fortuna commutare nolint, qui, opum colligendarum cupiditate per maria periculosa acti,

procul a patria vitam turbidam agunt; vel, ut aliis verbis utar: sunt, qui sorte quamvis exigua contenti, nihil amplius optent, quam ut sibi in agris, a patribus hereditate acceptis, frui liceat vita secura, ideoque ne splendidissimis quidem condicionibus permoveri possint, ut relicto, quo nati sunt, angulo, inter spem metumque versantes (id enim significat vox *timidus,* cui v. 18 respondet *indocilis)* mari periculoso se committant fortunamque tentent. Oppositum igitur vides agricolam modestum, praeter agri patrii fructum nihil cupientem, mercatori, divitiarum augendarum cupiditate ita exagitato, ut, etiamsi tempestatibus in mari·ortis secura, qua in terra patria uti liceat, vita dulcis videatur, a quaestuoso tamen negotio se abstrahere non possit. Verba *findere agros* et *secare mare* num inter se opposita esse voluerit poeta, ut, quam aliena sit navigatio ab agricolae consuetudine et indole, magis etiam significaret, suo quisque sensu iudicet. — *Dimoveas* i. e. divellas ab agris patriis et permoveas, ut etc. Alii praeferunt lectionem demoveas. Illa scriptura, quae librorum auctoritate commendatur, sive nexum sententiarum sive originem et vim vocis perpenderis *), aptior esse videbitur.

Est qui — spernit. Aliis per otium tempus transigere et aut potando aut frigus in umbra captando aut meridionando bonam diei partem, de integro detractam, consumere placet**). Participium *stratus,* ut recte vidit Ritter, non ad V. 19, sed ad loca, quibus meridiantes recumbere solent, pertinet, quod monendum adversus eos, qui respicientes Od. II, 3, 9 sq. de grata sub arbore vel ad fontem leniter profluentem quiete, cum vini potu coniuncta, poëtam cogitasse opinantur.

Deinde vss. 23—29 opponuntur mollioribus his animis asperiora eorum studia, qui, quum ad suum iis arbitrium vivere liceat, strepitu castrorum aut venationis quamvis difficilis varietate magis oblectantur, quam delicatis otiosorum voluptatibus et domesticae vitae iucunditatibus; quibus bella matribus detestata et venationes, a domo et coniuge, mariti reditum expectante, distinentes, oblectamento sunt. Adiectivum nomen *tenerae* auget oppositionis vim. Significat enim coniugem iuvenem mitioris ingenii, quae, quum multum iucunditatis habeat, tamen maritum venationis cupidissimum domi retinere non potest, quin etiam ab eo negligitur.

Me doctarum hederae — superis. Qui Harii coniecturam variis de causis seculi spreta

*) Vid. Hossii annotat. in Horat. carm. specilegium. Progr. Köln 1842.

**) Lambini a. h. l. verba discipulorum causa transcribo: „Quem hic solidum diem nominat, Od. IV. 5 integrum appellat; et dies fractus opponitur integro, ut integer sit, de quo nihil sit detractum, quod in curando corpore ponatur, fractus autem, qui totus in negotio non sit positus, sed divisus ita, ut eius pars . . . ad vinum atque epulas eiusmodique delicias et voluptates . . . conferatur.

codicum auctoritate *me* in *te* mutandum esse censuerunt, eos v. d. Dillenburger *) certis et illustribus rationibus atque argumentis ita refellit, ut apud omnes, qui carmina Horatii interpolationum suspicione liberare, quam praeiudicatis opinionibus servire et ex suo arbitrio, quidquid displicet, mutare atque adeo eiicere malunt, nullam de incorrupta carminis integritate dubitationem reliquerit. Adumbratis variis hominum studiis ad extremum poëta, quo ipse teneatur studio et qua potissimum condicione voti se compotem futurum esse speret, aperit. Apposite monet Ritter, *non singulos homines, sed genera hominum sibi comparasse poëtam,* neque minus a re aliena est Doeringii observatio, *non dicere poëtam, se praemia illa iam consecutum, sed sperare, se dignum habitum iri, atque hanc spem excitare eum ad poësis studium. Non gloriose igitur loqui Horatium* **). Ut versibus antecedentibus Horatius non solum varia hominum studia, quae summa ii habeant quibusque ad summum vel dignitatis vel felicitatis gradum sibi parari aditum arbitrentur (vss. 3—10), describit, sed etiam varias, quibus trahantur, vitae degendae rationes (10—20) variasque, quibus indulgeant, delectationes (20—28.); sic sequentibus versibus non solum, quid unice appetat (29—30), sed etiam, quam ex arte poëtica capiat animi oblectationem quemque spiritum (30—34), intenta, ut ita dicam, voce aperit. Ex quo facile apparet, quae sit iterati pronominis causa et vis. Hederas doctarum frontium i. e. poëtarum ***) referendas esse magis ad graviora †), iucundam autem deorum agrestium consuetudinem ad levioris plectri carmina, ex variarum Musarum favore, quibus sibi opus esse dicit poëta, coniicere licet. Euterpe carminum, quae laetitiam atque hilaritatem spirant, Polyhymnia earum, quae non sine artificio et divino quodam inflatu funduntur, praeses esse fingitur ††).

Lesboum barbiton magis etiam indicat, quae sint doctae illae frontes, ad quarum decus poëta cupidissime tendat. Vid. Horat. Od. I, 32, 3—5: age dic Latinum, barbite, carmen Lesbio primum modulate civi; III, 30, 10: IV, 3, 10.

Me secernunt populo i. e. carmina meditaturus e coetu hominum frequentiaque avocor

*) Horatiana, partic. II. Progr. Emmerich 1845.

**) Cf. Dillenburgeri Horatiana, part. II. pag. 14.

***) Vid. Orellium a. h. l. et Dillenburgerum progr. laud. pag. 11 et 12.

†) Cf. Horat. carm. VI, 30, 15 et 16: tu mihi Delphica Lauro cinge Melpomene comam.

††) Simili modo Od. IV, 14, 1—5 distinguuntur carmina laetioris et gravioris argumenti. Ceterum ab Alcaeo non unice serias res tractatas esse, documento sunt Od. 1, 32, 5—12. Respicit Horatius magis gravitatem in rebus ornandis spiritumque altius assurgentem.

in solitudinem ibique deorum praesentia *) et naturae amoenitatibus **) ita delector, ut cete- rorum hominum studia inferiora esse videantur. — *Populus* neque vulgus molestum est atque rude, neque, ut nuper vir doctus interpretatus est, imperitorum versificatorum***) turba, etsi in hoc sententiarum nexu labeculam quandam voci adhaerere facile concesseris. Opponit enim poëta ingenua sua studia voluptatibus, quales ceteri homines sectantur, vel quales ex eorum consuetudine percipiuntur, eoque ipso hos quodammodo prae se contemnit.

Si neque–cohibet. Recte Orellius: „Modeste et per particulas conditionis et per nega- tionem loquitur. Est illud *si*, quod prope accedit ad vim particulae *siquidem*.“

Quodsi me–inseris. Nonnulli post *quodsi* desiderant pronomen *tu*, ut tot versibus inter- jectis, qui sit inter finem carminis et exordium nexus, clarius appareat. Et re vera, si ad- ditum esset pronomen, offensionem non haberet, quum usus pronominis hoc ferat, ut non solum per apertam oppositionem ponatur, sed etiam, quoties appositio quaedam cogitatione supplenda sit, veluti: tu, qui talis es; tu, cuius de ingenio meo iudicium mihi pluris est, quam cetero- rum omnium †).

Inde tamen non sequitur, *tu* hoc loco necessarium esse ad sententiam plene expri- mendam. Horatius in limine carminis tam honorificis verbis indicat, quanti Maecenatis appro- bationem faciat, ut non desideretur extremo carminis loco pronominis vis, praesertim quum de Maecenatis et aliorum iudiciis sibi oppositis non sit cogitandum. — *Quodsi* non solum ad ea, quae versibus 29—35 continentur, referendum est, sed etiam ad vs. 1 et 2, quippe qui- bus contineatur causa, cur Horatius Maecenati potissimum carmina sua probata esse velit. — Vox vates significat poëtam divino spiritu afflatum, quo nomine Maecenas ornasse videtur poëtam, prae ceteris ipsi carum et gratiosum. Horatius ipse se nominat vatem Maecenatis Epist. I. 7, 11: *ad mare descendet vates tuus.* Cf. Od. IV, 3. 15. Dignitatis aliquid in hac voce inesse, apparet ex Od. IV, 6, fin.; II, 6 fin.; Tacit. dial. 9: egregium poëtam, vel, si hoc honorificentius est, praeclaris- simum vatem. *Inseris* praferendum lectioni inseres. Vide, quod supra notavimus ad Verba *si neque tibias.* Non hoc dicere voluit poëta, a Maecenatis iudicio de carminum, quae ei pro- positurus erat, bonitate pendere suam felicitatem, sed in universum, si a tam periti in-

*) Cf. Od. III, 4, 25: Vestris amicum fontibus et choris. III, 14, 7; II, 19, 1—4. Talia soli ii sentiunt, quorum pectus divini numinis plenum est.

**) Vid 1, 5—8.

***) Ad. Weichselmann, Progr. Laibach 1858.

†) Vid. Dr. Grysar, Theorie des lat. Stils S. 28.

genii atque artis aestimatore nomine vatis dignus haberetur, quod summum haberet, se sibi adeptum videri.

Sublimi–vertice. Respondent quidem haec verba aeque ac.“ 30 „*miscet superis*“ iis, quae v. 6 leguntur: „terrarum dominos evehit ad deos“; neque tamen idem sonant, quod verba: *me dis miscent superis.* Haec enim, quo tendat poëta vel quas in regiones abripiatur studio poëtico hederaeque desiderio, significant; illa, ad quem felicitatis gradum ascensurus sit Mae- cenatis assensu atque approbatione. Qui in his verbis tumorem, Horatio indignum, vituperan- dum esse censuerit, locos, ab Orellio a. h. e. allatos, evolvat et Homeri versum sibi in me- moriam revocet (Jl. IV, 443): οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη, καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει.

His de vocum significatione, de locorum sensu et de sententiarum nexu praemissis, de totius carminis argumento sic statuo: Alii alia sectantur studia. Sunt, qui vehementissime expetant *famae celebritatem*; hic captanda aura populari cupide affectat *amplissimos honores;* ille sibi placet in dilatandis agris opibusque alte exstructis (*divitiis*). — Alius *amplexatur agros a patribus hereditate acceptos*, nec splendidissimis condicionibus commoveri se patitur, ut *relicta vitae quietae dulcedine* inter spem metumque laetiorem fortunam periclitetur; alius *quaestuoso vitae genere* ita tenetur, ut nec vitae securae in terra patria illecebris, nec pericu- lis maris abstrahatur a lucri faciendi studio, paupertatis molestias propulsante. — Sunt, quos *per otium tempus transigere* et aut potando aut frigus im umbra captando aut meridionando bonam diei partem, de integro detractam, consumere iuvet; alii contra *castrorum strepitu belli- que notibus* aut *venatione*, quamvis difficili et a domesticis iucunditatibus distinente (*vita aspera, vicissitudinum, periculorum et laborum plena*), oblectantur. At *mihi* omnium rerum nihil, ad quod enitar, *dignius, nihil optatius* videtur, quam, quae ad coelum me evehere possit *corona hederacea*, praemium poëtarum, (i. e. *poëtam, hoc nomine dignum, esse*); *mihi* nil *dulcius*, quam remotum ab hominum frequentia, divino numine afflatum atque adiutum, *in carminibus* vel levioris vel gravioris argumenti *condendis versari.* — Quae quum ita sint, i. e quum cetero- rum studiis supersedens, nil ego ultra cupiam, quam ut dignus habear poëtae nomine, et nulla ex re maiorem ego delectationem capiam, quam ex carminibus, divino afflatu condendis, *sum- mum, quod opto, impetratus esse mihi videbor, si tu, in quo mihi et praesidium et decus situm est, non inani me studio servire et dignum esse iudicaveris, qui vatis lyrici nomine orner.*

Carmen igitur his partibus constat:

I. Varia ceterorum hominum studia: a, famae celebritatis; b, honorum. c, divitiarum (vs. 2—10).

2. Variae vivendi rationes, quibus sibi placent homines: a. vita stabilis et tranquilla agricolae, sorte quamvis dura contenti; b. vita instabilis et vicissitudinum plena mercatoris, lucri faciendi fame exagitati (vss. 10—18).
3. Varia hominum oblectamenta: a. eorum, qui otiosam vitam amant; b. eorum, qui otium aspernantur (vss. 19—22, v. 23.—29).
4. His opponuntur Horatii a. studium, b. oblectamentum (vss. 30—34).
5. Conditio, qua voti se compotem futurum esse sperat poëta (vss. 35—36).

Hae partes iusto ordine se excipiunt, nec quidquam mihi in hoc carmine aut eiiciendum aut mutandum esse videtur. Sin vero vituperationi quid loci est, agricolae et mercatoris exempla (vss. 10—18) non ita expressa esse monuerim, ut convenientia eorum cum poëtae consilio in promptu sit posita. Nam qui sorte sua contentus vivit, non enumerandus est in iis, qui ardenter aliquid appetunt vel sequuntur, et mercator, qui in periculo maris desiderat otium, mox tamen reparat naves, ut denuo iter ingrediatur, re vera neque otii, neque vitae maritimae cupidus est. Nec tamen exempla illa tam aliena esse a poëtae consilio, quam prima specie videantur, ex iis, quae supra de eorum significatione disputata sunt, cognoscere licet.

De tempore, quo scriptum sit carmen, quaestionem aliis iudicandam relinquere malo, quam inanes coniecturas augere. Missum id esse ad Horatium una cum tribus carminum libris, plerique viri docti consentiunt. —

Ironiae, quam quidam odorati sunt, equidem ne vestigium quidem video, nisi ironiam dicere volueris, siquis inania et minuta hominum studia inferiora esse ducit divino ardore ingenuaque poëtae oblectatione. At si quis dicat, poëtam iocosa quadam grandiloquentia usum esse, equidem non repugnem.

Qui carmen ingenio Horatii vix dignum habent, praefationis causa id scriptum esse reputent, qua oblata artis specimina aequo Maecenatis iudicio commendarentur, non qua novum ingenii documentum ederetur. Accommodatum esse carmen poëtae consilio, ne ii quidem negabunt, qui de eius compositione ac forma iniquam sententiam ferendam esse censent *).

---

*) Apte comparari potest Klopstockii oda, prooemii loco carminibus collectis praemissa: „Der Lehrling der Griechen“, in qua sublimem auctoris mentem, in plerisque eius poematis spirantem, magis etiam desiderent critici.

Carmen II, 35—40.

Sive neglectum genus et nepotes
Respicis auctor,
Heu nimis longo satiate ludo,
Quem iuvat clamor galeaeque leves
Acer et Mauri peditis cruentum
Vultus in hostem.

Quum neque Orellii de his versibus disputatione, neque recentiorum interpretum conatibus, omnis de singularum vocum significatione, de partium nexu et de pictura, a poëta proposita, dubitatio sit sublata, non potui, quin comparatis inter se virorum doctorum opinionibus recognoscerem locum, in quo non una de causa haesitabam, quoties ad eum rediveram.

Imploratur Martis adiumentum afflictis imperii rebus. *Genus* sunt Romani, a Marte oriundi; *nepotes* posteri, bellis civilibus impliciti. Genus neglectum dicitur, quia Mars non impediverat, quominus Romani discordiis civilibus arcerentur a bellis adversus exteros hostes gerendis (vss. 21—25; 51 et 52); nepotes separatim commemorantur, quia cognati Caesaris nece dei iram commoverant. Indicat simul poëta, et quibus de causis misericordiam atque opem Martis imploret, et quid hunc deum commovere possit, ut preces benigne audiat.

V. 37 difficultate laborat, quam ab interpretibus praetermissam esse, sane miror. Interiectionem dolentis *heu* non ad totum enunciatum, sed ad verba *nimis longo* referendam esse, nemo non videt; sed quaeritur, qui sit *ludus*, quo satiatus sit Mars, et quomodo delectari potuerit ludo Romanorum, qui prorsus hos negligeret? *Ludus* est spectaculum, quod Romani ediderunt bellis civilibus, quo Mars re vera delectari non potuit; opponitur iusto ac legitimo bello adversus hostes (v. 21, 22), quod Martem unice iuvat. *Satiari* autem aliquis potest spectaculo, longo praesertim, etiamsi neque animum attentum teneat, neque magnopere delectetur, ut *satiari* fere idem sonet, quod *pertaesum esse* (oppos. laetari Vid. III, 29, 49: Fortuna saevo laeta negotio). Iam quaeritur, utrum Horatius dicere voluerit, Martem ludo, quo aliquamdiu delectatus fuerit, *satiatum esse*, quippe quem iuvent bella seria, hoc nomine vere digna; an hoc potius: „sperare sese, fore ut Mars, discordiarum civilium *taedio captus*, genus et nepotes respiciat“, ut causae primariae, quae latet in verbis *genus et nepotes*, altera subiuncta sit, quae Martem commoveret, ut respiceret Romanos i. e. ut discordiis civium finem

imponeret dirigendis eorum armis in hostes exteros *). Firmatur haec altera interpretatio, quam unice veram habeo, maxime eo, quod sic demum perspicuum fit, versibus sequentibus (37—40) non solum causam contineri, cur Mars satiatus dicatur, sed etiam significari, quodnam eius consilium exspectetur. Ut v. 33 Erycinae Iocus et Cupido comites additi sunt, sic, quem habeat Mars quasi comitem (bellum), quo maxime delectetur, clamor, arma fulgentia et atrox congressus pugnantium, opposita pacis atque otii signis, indicant.

Martem, propter caedem Caesaris iratum, excitasse discordias, aut oblectatum esse caede civium, argumentis, ex carmine ipso sumtis, probari non poterit; hoc potius ex eo colligere licet, deos, urbis praesides, iratos quidem fuisse et aversos, non tamen voluisse, ut interiret populus, sed ut expiaret Caesaris necem et a nefariis bellis civilibus desisteret. Idem sensit Porphyrion, qui ad v. 10 haec annotat „quod *terreri* Iuppiter iusserit populum, non perire"; et ad v. 35: Ad Martem haec pertinent, quem invidiose arguit genus suum, i. e. Romani, quod *passus sit*, eos bello civili vastari".

Restat, ut Mauri peditis cum hoste decertantis picturam, doctis interpretationibus obscuratam, renovare, aut ab aliis renovatam collustrare coner. Poëtica ratione non simpliciter dicit poëta, bellum cum hostibus esse, quod Martem unice delectet, sed in medium belli strepitum nos transfert, ut clamorem audire et armorum splendorem pugnandique ardorem oculis intueri nobis videamur. Acerrimus hostium congressus repraesentatur singularis certaminis imagine, in qua virtutem bellicam, nefariae civium caedi oppositam, facile cognoscas. Cur vero Horatius *Mauri peditis* exemplo usus et qui *pedes* intelligendus sit, magna est interpretum dissensio. T. Fabri emendatio (*Marsi*), Bentleio, *refragantibus licet omnibus libris*, probata eiusque auctoritate ab aliis recepta, recentioribus interpretibus a consilio poëtae tam aliena visa est, ut ea reiecta plerique I. Fr. Christii interpretationem ab Orellio et Dillenburgero approbatam **), amplecterentur, alii, e quibus G. Regelium et Th. Obbarium nomino, eam ut nimis

---

*) Si per legem metricam licuisset poëtae, pro satiate scribere satiatus, nullus dubitationi locus relictus esset. Cf. v. 43: filius Maiae. Quod attinet ad sententiam cf. carm. I, 35, fin.

**) Vid. Duentzerum a. h. l. Orellius locum ita interpretatur: Romanus, confosso Mauri equo, hunc peditem reddiderat: barbarus, truculento vultu et ira aestuans, hostem invadit et vulnerat; cruentus est cruore oblitus, aspersus, non trux, saevus. Breitenbach (Progr. Wittenberg 1857) ad confirmandam hanc Orellii interpretationem hanc suggerit rationem: „Mauri vero nomen, quum solo equitatu ac tantum (?) valeret ista gens, ut pedestres eorum copiae ne commemorentur quidem a scriptoribus, per se equitem denotat, non aliter ac nostris temporibus sub nomine Kosack nemo non equitem intelligit." Claudicare hanc comparationem, patebit ex scriptorum documentis infra proponendis.

Nemo negabit, Orellium excudisse ex Horatii verbis imaginem per se probabilem atque eam, quae spe-

artificiosam et quaesitam respuerent et nihil prorsus occulti, quod cogitatione supplendum esset, in verbis *Mauri peditis* inesse contenderent. Ritteri novam interpretationem, quae nemini, nisi ipsi, placere videtur, silentio praetereo.

Ut aperte dicam, quid sentiam, ne mihi quidem per coniecturam quaerendum esse videtur, cuius rei expressa ante oculos posita est imago. Ista enim via ad summum id efficere poteris, ut, quid esse possit, non quid re vera sit, intelligatur. Mauros et pedestres copias habuisse et fortitudinis documenta dedisse, ex locis ab Orellio, Th. Obbario, Rittero laudatis non minus apparet, quam corporis forma et atroci vultu eos insignes fuisse *). Quid igitur impedit, quominus verum peditem Maurum cum acerrimo hoste pugnantem adumbratum esse credamus? „At Mauri maximam partem equis pugnabant". Concedo, neque tamen inde sequitur, pedites nullo fuisse apud Afros numero. Narrat. Caesar. Bell. Afric. cap. 48: *Rex interim Iuba .... cum tribus legionibus, equitibusque ... peditibusque levis armaturae grandi numero ... egressus e regno ad Scipionem est profectus.* cf. Suet. Jul. Caes. 66. Atque etiam maximum habuisse pedites in summo proeliorum discrimine momentum, Sallustius auctor est Bell. Ingurth. cap. 59: „*Neque diutius Numidae resistere quivissent, ni pedites cum equitibus permixti magnam cladem in congressu facerent* ..." Ex quo loco simul hoc patet, multo magis eos pericula et pugnandi necessitati obnoxios fuisse, quippe quibus pedibus collatis confligendum esset, quam equites, quibus celeri cursu impetum facere eoque repulsato retro cedere liceret. Quae quum ita sint, equidem non intelligo, quid in pictura proposita desideres aut cur cum Orellio peditis ἐκπεσόντα temere delectum esse putes. Peditum certamen ad figuram motumque corporum, pugnandi ardorem, vultus atrocitatem, ut verbo dicam, corporum animorumque habitum exprimendum aptius esse, quam certamen equestre, poëta subtilis probe sensit, quum picturam meditaretur, qua nihil aliud voluit, nisi ut ostenderet, ubi vera gloria Romanis quaerenda et quibus artibus Martis gratia reconcilianda sit. Habes ante oculos duos hostes acerrimam pugnam pugnantes. Maurus saevo vultu excipit impetum hostis *sanguinolenti* (αἱματοχαρής, *blutig*, ut nos quoque militem vocamus in hostem saevientem omniaque manu forti sternentem); uterque ad internecionem pugnandi paratus, uterque, ut cum Horatio loquor, cedere nescius et Marti iucundus. Significant clamor et galeae leves, non esse certamen singulare sensu angustiore intelligendum, sed exemplum dimicationis illu-

---

ctantium oculos capiat; sed, an in hoc sententiarum nexu ea omni ex parte poëtae consilio accommodata sit et vir doctissimus intra interpretis terminos se continuerit, dubito.

*) Aelian. Hist. an. XIV, 5: εἰσὶ δὲ Μαυρούσιοι καὶ καλοὶ καὶ μεγάλοι καὶ ἀνδρικὸν ὁρῶσι.

stri loco positum. Quodsi ita locum acceperis, picturam vigoris plenum videbis et consilio poëtae omni ex parte accommodatam.

Ut *Mauri* exemplo uteretur, Horatius pluribus causis commoveri poterat: 1, quia gentis illius ferocitatem experti erant Romani bello Africano; 2, quia Mauretania imperio Romano nondum adiecta erat; 3, poëtica ratione, quippe rerum et nominum insolentia et novitas adiuvat, ut vividiore animo imagines percipiantur. Cantabri et Mauri extremae Occidentis gentes, cf. II, 6. —

Carmen VII.

Omnes, quos novi, interpretes, uno ore consentiunt, scriptum esse hoc carmen ad Munatium Plancum consularem *); de tempore, quo ad eum missum sit, et de poëtae consilio in magna viri docti sunt varietate et dissensione; nonnulli etiam iustum sententiarum nexum desideraverunt, ut casu et fortuito duo carmina in unum coaluisse, alii ante v. 15 aliquot versus excidisse suspicarentur. Maxima autem difficultas posita est in Teucri exemplo, cuius singula lineamenta, qui ad Planci vitam referenda et accommodanda esse putaverit, ne acutissima quidem interpretatione efficiet, ut omnis dubitatio tollatur. Quod quum sensisset Duentzer *), annotatione Cruquii tantum non omni ex parte probata, de carminis argumento et singularum partium cohaerentia ita exposuit, ut equidem non intelligam, quid sit, quod ultra requiras, si modo sententiam primariam spectare, non singula quaeque perpendere velis. Sed non omnibus eum satisfecisse, recentiorum interpretum nemo apertius significavit, quam Franc. Ritter, qui coniectura prorsus nova iustae explicationis viam aperuisse sibi videtur. Is enim persuasum habet, non ad Munatium Plancum, quem supra nominavi, sed ad eius

*) L. Munatius Plancus, C. J. Caesaris in Gallia legatus a. u. c. 700 atque arctissimo familiaritatis vinculo cum eo junctus, in annum 712 ab ipso consul designatus est. Post ejus mortem a Cicerone in suas partes ductus, aliquamdiu adversatus est Antonio; deinde Asinii Pollionis consilio atque opera ad eundem transgressus, a. 712 cum Lepido consul creatus et a. 714 Asiae praefectus est. Cum Antonii factionem se inclinare sensisset, brevi ante proelium ad Actium factum Romam profectus ad Octavianum se applicavit. A. 732 cum Paullo Aemilio Lepido censor factus, quum propter inconstantiam mentis, tum propter licentiorem vitam aestimationis detrimentum fecisse videtur.

*) Kritik und Erklärung der horazischen Gedichte von H. Duentzer.

filium scriptum esse, qui, ut v. 30—36 Epist. I, 3, doceant, propter discordem patris animum a. a. 734 in cohorte Tiberii Neronis in Armeniam expeditionem fecerit ibique acres inimicitias adversus Iul. Florum exercuerit. Discordiae inter patrem et filium ortae causam fuisse suspicatur amicitiam, qua coluerit filius Tib. Neronem, a patre, summis honoribus perfuncto, infra se habitum. *De hoc itinere Horatium cogitare*, dum *numeret iucundas Asiae partes*, de *hac militia locutum esse*, ubi vitae labore atque *fulgentia signis — castra* posuerit. Carminis partes ita definit: 1. (v. 1—14) Monet, Tiburtini agri amoenitatem non cedere claris Achaeae vel Asiae urbibus, ne *adulescentulorum more* Plancus loca in Achaia et Asia nuper a se visa vel audita patriis anteferat neve *amorem paterni soli eruat*; 2. (v. 15—21) . . . propius accedens ad propositum Planco suadet, ut tristem animum exuat, *praesentis militiae labores* mero molliat; 3, (v. 21—32). Sequitur tertia pars carminis, qua et causa significatur, cur tristis esset Plancus filius, et *solatium* datur. Breitenbach *) hac Ritteri coniectura carmini, difficultatibus laboranti, lumen allatum esse eximie clarum, confirmat, neque tamen potest, quin fateatur, non satis firmo eam munitam esse argumento, quum non constet, discordasse inter sese Munatium Plancum et Tib. Neronem. Addere poterat, ne exploratum quidem esse, Horatium Epist. I, 3 de filio M. Planci consularis cogitasse.

Sed posito ac concesso, et dissedisse inter sese hos viros et in epistola illa Plancum filium esse intelligendum; si accuratius rem perlustraveris, filium maiores etiam molestias tibi creare videbis, quam patrem.

Ad primam carminis partem quod attinet, duae tantum causae cogitari possunt, cur poëta admonitioni praemiserit Tiburis laudem: aut dissuadere voluit Planco, ne spretis Tiburis amoenitatibus in terra extera consideret, aut invitare, ut relictis castris in densam Tiburis umbram se reciperet. Neutrum vero verisimile est; nam neque in hoc carmine, neque in Epist. I, 3 ullum est indicium, Plancum id egisse, ut domicilium in alia terra sibi quaereret, et alterum consilium, si dare voluisset, prorsus abhorreret ab hortatione, quae versibus 17—20 continetur, ut finiat tristitiam vitaeque labores molli mero, sive in castris sive Tibure moretur.

Atque haec ipsa adhortatio, Teucri maxime exemplo firmata, nullo cum Tiburis laude vinculo iuncta, neque personis neque tempori accommodata esse videatur, si ad Plancum filium

*) Ueber einige Stellen im 1. B. der Carmina des Horaz mit besonderer Berücksichtigung der Ausgabe von Ritter. Zeitschr. für Alterthumswissenschaft. 15. Jahrg. 1857.

eam referas. Is enim, si re vera a. 734 in cohorte Tib. Neronis expeditionem in Armeniam fecit, ferventis animi iuvenis fuit, id, quod patet ex Epist. I, 3, 33—34, ubi Horatius, gratiam inter Iul. Florum et Munatium compositurus, hortatur: *At vōs, Seu calidus sanguis, seu rerum inscitia* (vertit Ritter: Mangel an Erfahrung) *vexat, Indomita cervice feros, ubicunque locorum Vivitis, indigni fraternum rumpere foedus.* Horatius tunc temporis quadraginta quinque annos habebat, ut totidem fere annis maior esset, quam Munatius natus*). Iam quis credat, id aetatis virum, discordiam inter patrem et filium ortam ex animo dolentem, adolescenti peregre militanti, miseram eius conditionem quasi illudentem suasisse, ut tristitiam vitaeque labores vino molliret? Vile sane consilium in re gravi ac seria, et quod mirum quantum discrepat ab illo, quo Iul. Florum animo vere paterno ad reditum in gratiam cum Munatio admonet. Ne Teucri quidem exemplo suppletur, quod in poëtae admonitione desideratur; nam meo quidem iudicio magis id idoneum erat, quo iniquae condicionis dolor renovaretur atque augeretur, quam quo filii a patre dissentientis animus erigeretur. Ad hoc — ut mittam *vitae labores*, quos vixdum expertus erat iuvenis — si omnes partes carminis ad Munatium filium referendas esse censes, quo pertinere putas verba: *Teucro duce et auspice Teucro?* quo *peioraque passi?* Et ipsum Teucri exemplum, nonne ad confirmandum potius aptum esse videtur, quam ad infringendum emigrandi consilium? Vides, substituto Munatio filio in locum patris, dubitationes non imminui, sed augeri. Restituamus igitur Munatium patrem in pristinum locum, et eandem, quam plerique omnes interpretes priores ingressi sunt, viam persequentes, si quid difficultatis relictum est, expedire conemur.

Munatii consularis vita tam varia, turbulenta et ex eo maxime tempore, quo ad Octavianum is defecerat, tam suspiciosa fuit, ut vix fieri posset, quin ex negotiis publicis odiisque privatis molestiam caperet atque animi oblectatione curarumque levamento indigeret. Fuisse ei familiaritatem cum Horatio, Octaviani admiratore, ex Epist. I, 3, sive pater, sive filius est, qui ibi honorifice nominatur, apparet, fortasse etiam Carm III, 14, 28 verba „Consule Planco“ leviter indicant. Si Acroni fidem habes, Tibure oriundus erat; villam certe ibi habuisse videtur. Quem quum cura et sollicitudine affectum esse, fortasse etiam id agere videret, ut in privatae vitae umbram se reciperet, poëta monitione amica erigere atque ad hilarem vitae fructum suique ipsius fiduciam impellere voluit. Sententiaram nexus hic est: Laudent per me licet alii clarissimas insulas, urbes, regiones, variis vel bonis et virtutibus, vel situ, vel singulari deorum tutela insignes; ego omnibus praeferendum esse censeo agrum

*) Munat. Plancus filius consul fuit a. 766.

Tiburtinum, et locorum amoenitate et Albuneae, eius regionis praesidis, sede gratissimum. (Carm II, 6, 23: Ille terrarum mihi praeter omnes Angulus ridet). Hic tu quoque curarum requiem quaeras (Carm. II, 6, 7: *Tibur . . . sit modus lasso maris et viarum Militiaeque.* Epist. I, 11: *Quod petis, hic est; Est Ulubris, animus si te non deficit aequus.)* Nam ut in rerum natura tempestas variat et post pluvias et ventos coelum serenum redditur (Cf. Carm. II 10, 15: Informes hiemes reducit Iuppiter, idem summovet. Non, si male nunc, et olim sic erit); sic tu curas vitaeque labores finire et compotationibus hilaris animi tristitiam discutere memento, sive negotiis publicis implicatus in sole et pulvere, ut nunc, vivis, sive, id quod ego tibi suadeo, abiecta omni cura reipublicae ex hominum celebritate in Tiburis umbram te receperis. Nulla enim conditio vitae tam iniqua est, ut non levari possit cura animique angor vino (Cf. Carm. I, 18, 4—6: *Siccis omnia nam dura deus proposuit, neque Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.* II, 12, 17: *Dissipat Evius curas edaces.* III, 21, 17: *Tu spem reducis mentibus anxiis).* In quo tibi exemplo esse potest Teucer. Qui quum reversus Salamina a patre acceptus non esset, tamen non defecit animo, sed socios ipsi Apollinisque promisso confidere et vino, dum liceat, pellere curas iussit; altero die denuo subeunda esse *ingentis* maris pericula et labores (Cf. III, 29, 43: *cras vel atra Nube polum pater occupato Vel sole puro)*

Ita, nisi sensus meus prorsus me fallit, carminis partes non solum arcte inter se cohaerent, sed ne Teucri quidem exemplum quidquam habet, in quo haereas. Nihil enim accommodatius esse poterat, quo et miserrima hominis conditio una cum calamitatis solatio salubrique huius vi ob oculos poneretur.

Quo tempore scriptum sit carmen et qua singulari de causa poëta amicum in agrum Tiburtinum et ad hilarem vitae usum invitaverit, cum certis documentis demonstrari non possit, monendum esse videtur, ne suavitas carminis coniecturis artificiosis longeque quaesitis turpetur, neve scholiorum rugis obtorpescat.

V. 5—9. *Perpetuum carmen* est, quod eandem materiem, nulla alterius vel urbis vel personae laude interiecta, persequitur (ununterbrochen fort und fort besingen). Particula *et* habet vim consecutivam, (vide locos a Dillenburgero a. h. l. laudatos) ut fere idem sonet, quod *atque ita.* — Versu 7 significatur, quid carmine perpetuo efficere velint Athenarum laudatores. Volunt autem nihil aliud, nisi Palladis urbi prae ceteris urbibus victoriae signum ex Palladis arbore nexum, i. e. coronam oleaginam, deferre, vel ut aliis verbis utar, omnia ornamenta, undequaque conquisita, tn urbem Palladis congerere. Ex quo sequitur, id quod recte vidit Duentzer, ad vocem *fronti* non *suae*, sed *urbis* cogitatione supplendum esse. Idem sensit Gesnerus, qui haec annotat: „Non tam *poëtarum studia* diversa praedicare videtur Flaccus, quam *hominum iudicia* de locis quibusdam celebrioribus indicare.“ Ex meo quidem sensu et a poëtae consilio et ab ordine, quo sententiae se excipiunt, prorsus alienum esset, si, quid poëtae praedicandis urbibus *sibi* quaererent, commemoratum esset. Neque ex loco a Bentleio allato (Lucret. I, 926: *iuvat integros accedere fontis, Atque haurire; iuvatque novos decerpere flores Insignemque meo capiti petere inde coronam)* mihi persuasi, verba: *undique decerptam fronti praeponere olivam* ad lautatores Athenarum esse referenda et, quae est

Orelii interpretatio, sine imagine significare: *ex singulis fabulis atque historiis Atticis gloriam sibi parare.* Nemo quidem dubitabit, de poëta, qui conquirendis et tractandis novis argumentis sibi gloriam parare studet, apte dici posse, eum capiti suo inde petere insignem coronam; at eo, de quo nunc disputatur loco, quaeritur, quo referenda sit imago, qua usus est Horatius, et num oliva undique decerpta urbi, an eius laudatoribus, magis conveniat. Eam imaginem, si ad laudatores referas, offensionem quandam habere, variae et ex parte nimio plus quaesitae explicationes aperte indicant.

Qui *undique decerptam olivam* significare putant ramum, ab omnibus partibus foliis orbatum, eos non solum ad discrimen inter *decerpere* et *discerpere* non attendisse, sed Horatio etiam imputare iudicaverim, quod ab eius iudicio intelligenti atque elegantia prorsus alienum esse et ne acerbissimae quidem ironiae excusatione defendi posse videtur. *Plurimus in Iononis honorem.* Recte ac merito Orellius novissimos interpretes refutat, quibus haec verba idem valent, quod *studiosissime intentus, effusus in Iononis honorem.* Attulit nuper *Breitenbach* *) locum ex Lucano (III, 707: *multus sua vulnera puppi affixit moriens*), quo magis etiam firmatur adiectivum *plurimus* vicem substantivi sustinere. Quid igitur est, quod discedamus a priorum interpretum explicatione, qui ad unum omnes, quos novi, vocem *plurimus* pro *plurimi, permulti* positam esse censent.

Domus Albuneae. Nympha Albunea, quae ut dea Tibure colebatur, opposita esse videdur diis, quibus insignes erant clarissimae urbes, ne illa quoque regio, quam praetulit Horatius locis ab aliis laudatis, tutela numinis careret.

V. 17—21. *Finire* est respirare et aliquando requiescere ex curis vitaeque laboribus. (Conf. III, 4, 39; finire quaerentem labores.) *Tristitia* est animus curis sollicitus. Non est, quod de certa quadam causa sollicitudinis hoc loco cogitetur **); generatim et universe poëta loquitur. De [chiasmo], quem odoratus est Ritter, nihil est; nec magis probandum, quod vitae labores vertit: Mühsal auf Leben und Tod. Vides, quanto labore is singulas carminis partes accommodare studeat ad suam de Munatio Planco sententiam.

Seu-tenent, seu tenebit. Recte quidem Orellius: Hominem militarem Plancum esse significat; verum non solum hoc, sed indicant praeterea *fulgentia signis*, oppositam esse vitam splendidam, turbulentam atque occupatam vitae umbratili, a negotiis publicis remotae. — De varii temporis usu *teneat* et *tenebit* ad argumentam supra a me propositum remitto.

---

*) Jahrb. für Alterth. Wissensch. B. 3. 1.

**) Jacobus Meister (Progr. Wien 1860: De locis nonnullis Horatianis) nuper novam proposuit sententiam de causa, cur Teucrum potissimum imitari Plancum poëta iusserit. „Profecto non ut eum loquentem faciat: „„nunc vino pellite curas,““ sed ne illum eiusdem impietatis erga fratrem, cuius Teucer a patre Telamone accusatus erat, nimium poeniteat. Vellejus II, 67. . . . . Quodsi Horatius Plancum cum Teucro, celebratissimo antiquitatis heroë, comparat, eiusque sequi securitatem iubet, quamvis impietatis et parricidii eum ipso Teucri nomine admonet, tamen aliquo honore et solatio afficit, quum omnino solamen sit miseris socios habuisse malorum.“ Contra monendum est: 1) Teucrum a culpa vacuum fuisse, (Pausan. I, 28); Plancum re vera effecisse, ut frater Plotius Plancus proscriberetur; 2) Teucri fabulam, ad Planci conditionem accommodatam, parum sane aptam fuisse ad Plancum solatio afficiendum. Repugnat subtilis Horatii venustas atque humanitas.